

## Order of Saint Lazarus: Primary sources

---

Nicholas V, Pope of Rome. Bullae Papae Nicolaus V: Religionis zelus, vite ac morum honestas....  
dated 11th December 1450. Original document lost; compilation document in register on paper.  
Archivio Segreto Vaticano (Vatican), Registro Vaticano 393, fol. 123 - 123 verso

- Transcribed in: R. Hyacinthe. L'Ordre de Saint-Lazare de Jérusalem au Moyen Age. Études & Communication Édition, Bez-et-Esparon, 2003, +253p. [ISBN: 2911722205]

Nicolaus etc. Dilecto filio Hugoni Spaldyng, professo hospitalis Sancti Lazari de Burton, Lincolniensis diocesis, salutem etc.

Religionis zelus, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio nos inducunt ut te specialibus favoribus et graciis prosequamur.

Hinc est quod nos volentes te, qui ut asserinur defectum natalium pateris de conjugato genitus et soluta super quo aliis sub certis modo et forma tecum extitit dispensatum necnon Ordinem Sancti Lazari Jerosolimitani sub regula sancti Augustini professus existis, premissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi, gratioso tuis in hac parte supplicationibus inclinati tecum: Ut quodcumque beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, per clericos seculares regi solitum cuiuscumque taxe seu anni valoris illorum fructus, redditus et proventus sint, etiam si parochialis ecclesia seu eius perpetua vicaria aut cantoria vel capellania, seu salarium

annuum presbyteris in regno Anglie dari solitum, si tibi alias canonice conferatur, vel te ad illud presentari et in eo institui contigerit recipere et quo advixeris retinere, illudque et quodcumque aliud quod te imposterum pro tempore assequi contigerit beneficium huiusmodi simpliciter vel ex causa permutationis quociens tibi placuerit dimittere et loco dimissi aliud seculare beneficium ecclesiasticum etiam recipere et quo advixeris retinere libere et licite possis.

Ac valeas superioris tui et cuiuslibet alterius licentia de super nullatenus requisita quodque ordinem ipsum expresse professus existas, et quod defectum natalium pateris antedictum ac quibusvis apostolicis necnon bone memorie Ottonis et Octoboni olim in regno Anglie sedis apostolice legatorum ac in provincialibus et synodalibus conciliis generalibus vel specialibus constitutionibus necnon dicti Ordinis iuramento confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus proviso, quod beneficium huiusmodi debitum propterea non fraudetur obsequiis, et si qua illis immineat animarum cura nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre dispensacionis infringere etc. Siquis etc.

Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo undecimo,  
kalendis decembris, anno quarto.